

DOXOLOGIA
DEI LEGISLATORIS,

EJUSQUE CONGIO EX DEUTERONOMO.

Misericordias, et sanctificationes Domini, in eternum cantabo.

Audi, Israel, magnalia, audi misericordias; audi, et rumina mandata Dei tui.

Ut faciens ea vivas, et possideas terram quam Deus daturus est tibi.

Hæc est enim tua sapientia, ut dicant: En populus sapiens, et intelligens, gens magna.

Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi: sicut Deus noster ad cunctis obsecrationibus nostris.

Quæ est enim alia gens sic inelyta, ut habeat ceremonias, justaque judicia, et legem Dei?

Interroga de diebus antiquis, si unquam factum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti.

Si fecit Deus, ut tolleret sibi gentem de medio nationum, per tot signa et portenta, per pugnas, et manum robustam.

De celo te fecit audire vocem suam; quia dilexit patres tuos, et semen eorum.

Scito ergo quod Dominus ipse est Deus in celo sursum, et in terra deorsum, et non est alius.

Testes invoco cælum et terram, cito vos perituros, si Deum ad iram provocetis: Deus enim tuus ignis consumens est, Deus zelotes.

Audi, Israel: Dominus Deus noster, Deus unus est.

Diligens eum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.

Hæc meditaberis sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens: ut sis populus sanctus Domino.

Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis gentibus, regale sacerdotium, gens sancta.

Non inibis cum Gentibus fœdus: nec sociaberis cum eis conjugia.

Si custodieris pactum, et legem Dei, benedictus eris inter omnes populos.

Non erit in te sterilis, auferet Dominus a te omnem languorem: devarabis omnes inimicos.

Deduxit te Dominus quadraginta annis per de-

sertum terribile: in quo erat scorpiorum, dipsas, et serpentes flatu adrens.

Dedit tibi manna, ut ostenderet quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Nec pes, nec calceus tuus est subtritus: en quadagesimus annus est.

Inducet te in terram lactis et mellis: terram frumenti, hordei et vini.

Non propter justitias tuas inducet te: sed ut compleat juramenta, quæ dedit Abraham, Isaac et Jacob.

Ne tentes Deum, sicuti fecisti in incendio, in tentatione, et in sepulchris concupiscentiæ: quia populus duræ cervicis es.

Circumcidite præputium cordis vestri: et cervicem vestram ne induretis amplius.

Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te: nisi ut timeas eum, ut ambules in viis ejus; ac diligas eum, et servias ei in toto corde.

En Domini Dei tui est cælum, et cælum cœli: terra, et omnia quæ in ea sunt.

Ipse est laus tua, et Deus tuus: qui fecit tibi hæc magnalia, et terribilia, quæ viderunt oculi tui.

Multiplicavit te sicut astra cœli: et sicut arenam, quæ est in litore maris.

Duxit te sicco pede per mare Rubrum: Pharaonem et Ægyptios in eo demersit.

En morior: propono vobis hodie benedictionem et maledictionem: benedictionem, si obedieritis; maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini.

Quod præcipio tibi, hoc tantum facito: nec addas quidquam, nec minuas.

Si surrexit pseudopropheta dicens: Sequamur deos alienos, illico lapidibus obrues eum.

Urbem delebis, usque ad peccora: quidquid in ea est, igne succendes.

Non apparebis ante Dominum vacuus: sed offeres juxta benedictionem, quam dederit tibi.

In judicio non accipies personam, nec numeram: quæ excavant oculos sapientum, et mutant verba justorum.

Si difficile et ambiguum aynd te fuerit judicium, venies ad sacerdotes Levitici generis; et facies quæcumque dixerint tibi.

Qui superberit, nolens obedire sacerdotis imperio, et decreto judicis, morte moriatur.

Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus: ipsum, ut me audies.

Si exieris ad bellum, ne timeas; quia Dominus in medio tui est, et pro te dimicabit: tantum custodias te ab omni re mala.

Maledictus omnis qui pendet in ligno: cur ergo, o Christe, dignatus es pro nobis in cruce fieri maledictum?

Primitias frugum dabis Domino, dicens: Profitetur hodie coram Domino, quod ipse nobis dederit terram lacte et melle manantem.

Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus: custodi ergo mandata et judicia illius.

Benedictus qui facit precepta et justitias Domini: benedicite domus, et horrea ejus.

Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus.

Maledictus qui non permanet in sermonibus legis Dei, nec eos opere perficit.

Maledictus in civitate, maledictus in agro: maledictus ingreditus, et egrediens.

Sit cœlum quod super te est, æneum: et terra, quam calcas, ferrea.

Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem: tradat te hostibus, et cadaver tuum volatilibus cœli.

Percutiat te ulcere Ægypti, amentia, cecitate, ac furore mentis.

Det tibi cor pavidum, et deficiens: sit vita tua quasi pendens auto te.

Mane dicas: Quis det mihi vesperum? et vespere: Quis mihi det mane?

Et dicent omnes gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? quæ est hæc ira furoris ejus immensa?

Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum in Horeb.

Abcondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis, et filiis nostris, usque in sempiternum.

Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te, ut dicas: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos?

Neque trans mare positum, ut causeris: Quis enobis transfretabit mare, ut illud ad nos afferat?

Juxta est sermo valde in ore tuo: et in corde tuo, ut facias illum.

Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum.

Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum diligat Deum; ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum.

Viriliter age, et confortare, ne timeas hostes: Deus est ductor tuus, ipse non derelinquet te.

CANTICUM MOSIS.

Audite, cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei.

Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia.

Peccaverunt ei non filii ejus: generatio prava atque perversa.

Hæcine reddis Domino, popule stulte et insipiens?

Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te?

Quando dividebat Altissimus gentes, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.

Pars autem Domini populus ejus: Jacob fuit cunctus hæreditatis ejus.

Invenit eum in terra deserta: in loco horroris, et vastæ solitudinis.

Circumdixit eum, et docuit: et custodivit quasi pupillam oculi sui.

Sicut aquila, provocans ad volandum pullos suos, expandit alas suas: et portavit eum in humeris suis.

Constituit eum super excelsam terram, ut suggeret mel de petra oleumque de saxo durissimo.

Incrassatus est dilectus, et recalcitavit: dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.

Deum qui te genuit dereliquisti: oblitus es Domini creatoris tui.

Ignis succensus est in furore meo: ardebit usque ad inferni novissima, et montium fundamenta comburent.

Congregabo super eos mala: et sagittas meas complebo in eis.

Gens absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!

De vinea Sodomorum vinea eorum: fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

Mea est ultio, ego retribuam eis: juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora.

Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes.

Laudate, gentes, populum ejus; quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuit in hostes eorum.

Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia.

In dextera illius Ignea lex: omnes sancti in manu illius sunt.

Moses moriens benedixit Levi, dicens: Qui dixit patri suo, et matri suæ: Nescio vos; et fratribus: Ignoro illos.

Hi custodierunt pactum tuum, Domine: eloquium tuum servaverunt.

Ponent thymiama in furore tuo: et holocaustum super altare tuum.

Benedic, Domine, fortitudini ejus : et opera
manuum ejus suscipe.

Populos vocabunt ad montem : ibi immolabunt
victimas justitiae.

Non est Deus alius, ut Deus rectissimi : ascen-
sor caeli auxiliator tuus.

Magnificentia ejus discurrunt nubes : habita-
culum ejus sursum, et subter brachia sempi-
terna.

Habitabit Israel confidenter in terra frumenti,
olei et vini : et caeli caligabunt rore.

Beatus es tu Israel, popule, qui salvaris in Do-
mino : ipse est scutum auxilii tui, et gladius glori-
ae tuae.

Negabunt te inimici tui : et tu eorum colla cal-
cabis.

Ascendit Moses in montem Abarim, vidit ter-
ram Abraham et semini ejus promissam.

Mortuus est, nec cognovit homo sepulcrum
ejus : non caligavit oculus ejus, nec dentes ejus
moti sunt.

Non surrexit ei similis Propheta in signis et por-
tentis : qui nosset Dominum facie ad faciem.

Similem illum fecit in gloria sanctorum : os-
tendit illi gloriam suam.

In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum :
et elegit eum ex omni carne.

Docere Jacob testamentum suum, et judicia sua
Israel.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut
erat in principio, et nunc, et semper, et in sae-
cula saeculorum. Amen.

ORATIO ET CONCLUSIO.

CREATOR omnium, Deus, qui tua providentia
cuncta gubernas, attingens a fine usque ad finem
fortiter, et disponens omnia suaviter, quam sanctus
et mirabilis fuisti in Mose et Hebraeis, cunctis-
que operibus Pentateuchi ! Spectavimus in *Genesi*
potentiam tuam rerum omnium creationem : in
Exodo, singulariter erga tuos curam et providen-
tiam : in *Levitico*, sacram tuam religionem, victi-
mas et caeremonias : in *Numeris*, augustam tuam
in tantis populi castris magnificentiam : in *Deute-
ronomio*, fervorem tuum circa populi salutem,
amorem et zelum. Spectavimus veterem Eccle-
siam et rempublicam in populo a te electo insti-
tutam. Audivimus legis aeternae tuae rivulos, prae-
cepta tua sancta, moralia, judicialia et caeremo-
nialia. Laudent te caelum, terra, mare et omnia
quae in eis sunt : laudent te, et benedicant nomen
sanctum tuum in saecula. Da, Domine, ut in his
omnibus agnoscamus, et intueamur te, reverea-
mur te, colamus et amemus te ex toto corde, ex
tota anima, et ex tota fortitudine nostra. Da ut in
his omnibus adumbratum et depictum specule-
mur Unigenitum tuum, Christum Dominum, Sal-
vatore nostrum. Da quoque ut eundem agnoscat
Israel, populus olim a te electus, nunc derelictus et
aberrans. Salva, Domine, reliquias Israel : ipsienim
sunt filii Abraham secundum carnem ; ipsi sunt cog-
nati tui, cognati Apostolorum. Aufer ab eis velamen
litterae, et carnalium caeremoniarum, quod posi-

tum est super cor eorum, a diebus Mosis et Mes-
siae ; ut in eis legant et videant spiritum, et mys-
teria Christi tui recondita : haec est enim vita
aeterna, ut cognoscat te solum verum Deum, et
quem misisti Jesum Christum. Da denique ut hic
commentarius tuae gloriae, et Mosis tuo illustran-
do serviat, ut quicumque haec legunt, et Penta-
teuchi, et Christi in eo figurati, et tuae majesta-
tis, quae aeternis omnium, aeternam cogniti-
onem nascantur, indeque ad majorem tui amo-
rem, reverentiam et cultum incitentur. Fave hisce
votis meis, S. Dei genitrix, Virgo Maria, effice
apud benedictum Filium tuum ut eorum compos
fiam. Tibi enim, ut matri meae, omniumque quas
mea sunt, secundum hunc factum meum, aequae ac
primam refero et offero : tibi Mosen hunc meum,
aequae ac Paulum, dico, trado, consecro. Tuus enim
est, non meus : tibi gloria, mihi autem confusio
faciei meae. Maria, mater Dei, memento mei, nunc,
et in hora mortis. Da denique ut haec scripta, hi
apices singuli laudent te tumque benedictum
Filium cum Patre et Spiritu Sancto ; laudent, in-
quam, et hoc saeculo, et futuris omnibus, cunctos-
que haec lecturos ad jugem ejus laudum invi-
tent : atque me mortuo perennem ejus gloriam
loquantur, et testentur universis aeternum et im-
mensum ejus laudandi et glorificandi deside-
rium.

Amen.

Quia leges Mosaeicae, sive veteris Testamenti, plurimas sunt, eaeque sparsim et confuse toto Pentateucho propo-
nentur, et commisceantur, visum est eas omnes hic in suas classes distribuere, unicuique quasi synopsi ob oculos
ponere.

SYNOPSIS

OMNIUM PRÆCEPTORUM,

QUE

DEUS MOYSI DEDIT, COLLECTA EX PENTATEUCHO.

Leges, sive præcepta Mosaeica, alia sunt	Simplicia : alia sunt	Moralia sive natura- lia.
		Ceremonialia.
Leges, sive præcepta Mosaeica, alia sunt	Mixta : alia sunt	Judicialia.
		Moralia et caeremonia- lia simul.
		Moralia et judicialia simul.
		Ceremonialia et judi- cialia simul.
		Moralia, caeremonia- lia, et judicialia si- mul.

Præcepta moralia, sive Decalogi.

I. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelo-
tes : non habebis deos alienos coram me : non
facies tibi sculptile : non adorabis ea, neque co-
les, *Exodi* xx, 4. Haec pertinent, et haec explicant
sequentia :

1. Audi, Israel : Dominus Deus noster, Domi-
nus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex
toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota
fortitudine tua, *Deut.* vi, 4.

2. Erunt haec verba in corde tuo : narrabis ea
filii tuis ; meditaberis in eis sedens et ambulans,
dormiens atque consurgens, *Ibid.*

3. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut
tentasti in loco tentationis, *Deut.* vi, 16.

4. Sancti estote, quia ego sanctus sum, Domi-
nus Deus vester, *Levit.* xix, 2.

5. Non inventur in te, qui lustret filium suum
aut filiam, ducens per ignem ; aut qui ariolos scis-
ciletur, et observet somnia atque auguria ; nec
sit maleficus, nec incantator, neque qui pytho-
nes consulat, nec divinos, et quaerat a mortuis
veritatem, *Deut.* xviii, 10.

6. Perfectus eris, et absque macula cum Do-
mino Deo tuo, *Ibid.* vers. 13.

7. Prophetam de gente tua, et de fratribus
tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus :
ipsum audies, *Ibid.* vers. 15.

8. Si surrexerit propheta, et frater, filius, filia,
aut uxor dixerit : Eamus, et serviamus diis alienis ;
non acquiesces, sed statim interficies, *Deut.*
xiii, 2 et 6.

9. Non facietis deos aureos, vel argenteos,
Exodi xx, 23. Non facietis vobis idolum, et sculpti-
tile, nec titulos erigelis, nec insigne lapidem,
ut adoretis eum, *Levit.* xxvi, 1.

10. Non adores, nec colas solem, lunam, stel-
las, etc., *Deut.* iv, 19. Quia Dominus Deus tuus
ignis consumens est, Deus amulator, *Ibidem*
vers. 24.

11. Dissipate aras eorum Gentium, confrin-
gite statuas, lucos comburite, idola comminite,
disperditae nomina eorum de locis suis, *Deuter.*
xii, 3.

12. Non addetis ad verbum quod vobis loquor,
nec auferetis ab eo, *Deut.* iv, 2.

13. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum :
nec enim habebit insontem Dominus eum,
qui id fecerit, *Exodi* xx, 7. Haec pertinent, et hoc
explicat sequentia :

1. Per nomen exteriorum eorum non jura-
bitis, neque audietur ex ore vestro, *Exodi* cap.
xxiii, vers. 13.

2. Per nomen Domini Dei tui jurabis, *Deuter.*
cap. vi, vers. 13.

3. Non perjuras in nomine meo, nec pollues
nomen Dei tui : ego Dominus, *Levit.* xix, 12.

4. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non
tardabis reddere, quia requiret illud Dominus
Deus tuus ; quod semel egressum est de labiis
tuis, observabis, et facies, sicut promissisti Do-
mino Deo tuo, *Deut.* xxiii, 21 et 22.

5. Qui maledixerit Deo, et blasphemaverit no-
men Domini, morte moriatur, *Levit.* xxiv, 15.